Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

in timore domini proficientes. fructus largissimos afferre
bant. In conspectu autem eorum quasi angelus dei uidebatur.
et quasi quedam edificii ligatura. sic enim karitas illorum
erat circa ipsum per doctrinam sermonis dulcissimi. ut
hoc de eo credere uideretur. Completo igitur anno postquam
crediderunt. beatus uir abraham non cessabat diebus
ac noctibus uerbum eis domini predicare. At ubi uidit eorum
studia circa domini fidemque karissima et quod erga eum nimia
essent karitate conexi. et honorem sibi maximum exhi
berent. uerens ne obtentu eorum abstinentie sue regu
lam destruere cogeretur. consurgens noctis medio ora
tionem fudisse fertur ad dominum. Tu solus qui sine pecca
to es. qui cum sis sanctus requiescis in sanctis. qui solus amator
es hominum ac misericors deus. qui oculos mentium tan
te huius multitudinis illuminasti qui eos aduersarii
uinculis absoluisti. qui implicatos simulachrorum erro
ribus conuertisti. et tue cognitionis eis scientiam tribuisti.
queso te domine ut usque in finem regere eos et conseruare
digneris et ut auxilium tuum gregi huic optimo quem
possidere uoluisti. perpetuum copiosumque clementer im
percias. et quasi muro ualidissimo eos gratia bonitatis tue
circumdes. et corda eorum semper illumines. ut ea que tibi sunt pla
cita percipientes. eternam uitam percipere mereantur. me quoque
in firmissimo adminiculo tuearis nec reputes in pec
catum. quod ab eis festino discedere. Tu enim nosti unus
solus cognitor quod te solum desidero. et te meum dominum esse cognos
co. Consummataque oratione discedens terto consignauit
uicum. Christi signaculo. abiitque latenter in alium locum.
et quibus se potuit latebris occultauit. Mane autem
solito ad ecclesiam turbe conuenerunt. Cumque eum minime
repperissent. maximo stupore perculsi sunt. et quasi errantes
oues diuisis in locis pastorem proprium perquirebant. nomen
eius ululantes cum lacrimis inclamabant. Cum autem diutis
sime querendo eum minime inuenire possent nimio
merore deiecti. confestim quod eis acciderat pergentes episcopo
nunciauerunt. Qui cum cognouisset; ipse quoque admodum
tristis efficitur. statimque plurimos ad requirendum dei ho
minem destinauit. maxime ob consolationem gregis
eius quod eos cerneret flebiliter contristari. Cumque ab omnibus
tanquam lapis preciosissimus quereretur. et prorsus inueni
ri non posset; habito consilio cum clericis suis episcopus memoratum
uicum ingreditur. cepitque ad eos consolatorium proferre ser
monem. et dolorem maximum quem de dei hominis discessu
perceperant. blanda predicatione leniret. Cernens autem
eos in fide Christi firmissimos. elegit ex eis uiros probabiles.

quos presbyteros. ac diaconos. lectoresque constituit.
Audiens uero hec sanctissimus abraham uehementer
gauisus est. et glorificans dominum dixit. Quid retribuam
tibi deus meus benignissime pater. atque amator
hominum suauissime. Fecit igitur alteram extrinsecus
celulam. et semetipsum magna cum leticia in inte
riore conclusit. Intimis namque afflictionibus quas in
sepe dicto uico perpessus est numquam abstinentie
sue regulam fregit. neque ad dexteram uel sinistram
ab ea deuiauit. Gloria et magnificentia deo qui
ei talem tolerantiam tribuit. qua alios posset con
uertere et sui propositi gratiam custodire. Cernens
autem diabolus bonorum omnium inuidus. quod tan
tas in eum tribulationum molestias exercitans non in
desidiam dei hominem traderet. non in aliquo mentem eius
ualuisset a deo separare et quod magis ut aurum in
fornace pressuris fulgentior redderetur. atque in ma
iorem pacientiam et alacritate caritatis proficeret.
uehementius irritatur. et acriter efferatus aduersus
eum cum magnis fantasiis aduenit. ut saltim
sic ei pauorem incuciens decipere eum posset; ac fal
lere. Igitur cum staret noctis medio ac psalleret.
repente lux copiosa ueluti sol in cella eius reful
sit. et uox cuiusdam multitudinis audita est dicens.
Beatus es uere beatus es abraham et fidelis. nullusque
sicut tu in omni conuersatione inuentus est. qui omnes uo
luntates meas implesti. Ptinus autem uir sanctus do
lum maligni cognoscens. exaltans uocem suam
dixit. Obscuritas tua tecum sit in perdictione.
O plene dolo atque fallacia. ego enim homo pecca
tor sum. habens tamen spei presidium. Per dei gratiam
in nullo tuas insidias pertimesco. nec plurime
fallacie tue pauorem mihi incuciunt. Nomen si
quidem domini mei saluatoris ihesu christi. quem dilexi
et diligo. mihi ualidissimus murus est. in quo
te increpo canis immunde atque miserande.
Et eo hec dicente confestim ut fumus ab oculis
eius euanuit. Sanctus autem dei famulus cum multa
alacritate et tranquillitate animi benedicebat
dominum tanquam si nullam uidisset fantasiam. Rur
sus uero post dies paucos orante eo noctu te
nens securim diabolus cellulam eius cona
batur euertere. Et cum iam se putasset perforasse
eam. uoce magna clamauit et dixit. Festinate
amici mei festinate celeriter. atque introeuntes

147